

luntatis in aliquid præordinatum a ratione, sicut dictum est. Et ideo ea quæ sunt plura secundum rem possunt accipi ut unus terminus intentionis, prout sunt unum secundum rationem, vel quia aliqua duo concurrunt ad integrandum aliquid unum; sicut ad sanitatem concurrunt calor, et frigus commensurata, vel quia aliqua duo sub uno communi continentur quod potest esse intentum, puta acquisitio vini, et vestis continetur sub lucro, sicut sub quodam communi, unde nihil prohibet quod ille qui intendit lucrum, simul hæc duo intendat.» Ecce quomodo D. Thomas ponit posse voluntatis actum ad plura respicere, quæ semper debent in aliquo uniri, licet inter se non sint ad invicem ordinata, licet unita in aliquo communi. Repugnat ergo illi sententiæ, quæ dicit posse simul ferri in plura objecta formalia adæquate diversa eundem actum. Unde ibidem sanctus doctor solutione ad tertium æquiparat voluntatem intellectui in hoc quod possit ferri in plura in quantum sunt aliquo modo unum. Nusquam ergo docet ferri voluntatis actum in plura adæquate diversa.

XIII. Et fundamentum hujus sumi potest; tum, ex generali ratione pro omni potentia, habitu, et actu, quæ sumunt unitatem, et diversitatem ex objecto formali; tum, ex speciali ratione in actibus moralibus, quia hi generant virtutes, non possunt autem diversificari virtutes specificè nisi ex diversis objectis formalibus adæquatis. Si autem semel admittitur eundem actum posse habere plura objecta formalia adæquata, ruit hoc principium diversificandi specie ipsas virtutes morales.

Primum ergo principium manifestum est, quia potentia, habitus, et actus habent totam suam essentiam, et id quod sunt specificè, et

essentialiter ordinatum ad objectum, et sic ex objecto tamquam ex specificativo extrinseco distinguimus actus, at ex unitate unum constituimus. Hoc autem non sumitur ex objectis materialiter solum consideratis, quia circa idem materiale objectum contingit plures actus specie diversos versari, sicut eundem hominem visu, auditu, tactu, intellectu, voluntate attingimus; et e converso plura entitative diversa eodem actu attingimus, sicut unica visione possumus videre lapides, ligna, aurum, argentum, homines, etc. si eodem aspectu ponantur in præsentia nostra: ergo sumi debet ista distinctio, aut unitas ex objectis formaliter diversis, aut formaliter uno: Ergo si objecta formalia sunt adæquate diversa, implicat quod relinquunt unitatem, et non faciunt diversitatem in actu. Patet consequentia, quia implicat poni causam formalem et non effectum formalem, specificativum et non specificatum, sed causa formalis et specifica diversitatis formalis, et specificè est diversum objectum formale, nec potest imaginari magis diversum, quia sunt plura formaliter, et adæquate diversa, illa enim adæquate diversa dicuntur, ultra quæ non est aliud faciens diversitatem, sed illa claudunt, et terminant diversitatem; ergo si sunt objecta adæquate formaliter diversa, claudunt, et terminant diversitatem formalem actus, quia adæquant illam, et habent quidquid requiritur ad diversificandum, hoc enim est adæquate esse diversa. Non ergo stat, quod aliqua objecta sint adæquate diversa formaliter, et in actu diversitatem non faciant formalem, et specificam.

XIV. Dices: Sunt adæquate diversa, quia quodlibet eorum de se sufficit, licet per accidens hic jungantur in isto actu, sicut pos-

sum ire Romam ex duplici causa, et motivo, quorum quodlibet sufficit ut vadam, et tamen possunt simul conjungi. Vel secundo, doctrina data tenet in objectis formalibus, quæ simpliciter sunt essentialia actui, et specificativa entitatis ejus. Nos autem loquimur de objectis specificativis in linea, et genere morali, quod accidentale est entitati actus, et sic possunt plura simul concurrere in eodem actu.

XV. Sed contra primum instatur: Quia illa plura motiva, quæ mihi se offerunt expedienda Romæ subordinantur uni fini, nempe propriæ commoditati, vel honori, aut gloriæ Dei, aut quieti meæ, et expeditioni curarum, etc. sicut etiam in fine ultimo creato plura solent convenire, quæ inter se diversa sunt, sed uniuntur in una ratione proprii satiativi, aut commoditatis propriæ, quam ex multis compono. Et Deus voluit in incarnatione restaurare quæ in cælis sunt, et quæ in terra, et multa motiva conjungere in illo excellentissimo opere, omnia tamen subordinavit redemptioni hominum, quod fuit præcipuum motivum, ut S. Thomas affirmat in p. quæst. I, art. III, et hoc totum subordinatum fuit gloriæ Dei. Itaque bene stat, quod unum motivum de se sit adæquatum, sed de facto, et quoad usum operantis, et exercitium sit inadæquatum, quia sumitur ut conjunctum alteri, et vel unum subordinatur alteri, vel utrumque conjungitur in uno tertio motivo, vel proprii honoris, vel commoditatis, aut quietis, etc. Sed quod de facto, et in exercitio sumatur ut adæquate diversum hoc objectum ab illo, et tamen sit unus actus repugnat, nec dabitur instantia.

XVI. Contra secundum obstat doctrina D. Thomæ supra quæst. I, art. III ad tertium, quod idem actus numero secundum quod semel egre-

ditur ab agente non ordinatur, nisi ad unum finem proximum a quo habet speciem, sed potest ordinari ad plures fines remotos, quorum unus est finis alterius. Finis autem proximus dans speciem est objectum. Itaque licet moralitatis sit aliquid accidentale actui considerato in entitate sua, tamen cum actus ut egreditur ab objecto non possit respicere plura objecta specificativa sui, et formalia si adæquate, et totaliter diversa sunt in ratione objecti, consequenter neque potest accipere accidentales illas rationes moralitatis nisi ut unitas, et adunatas in illo objecto; ergo licet accidentalis sit linea moralitatis ipsi entitati actus, tamen non est dabilis nisi ut conjuncta objecto specificanti talem actum; hoc autem non potest esse nisi unum in actu prout egreditur semel ab agere, ergo omnia alia motiva, et objecta in esse morali considerata quantumcumque sint accidentalia entitati actus in genere entitativo considerati, non tamen possunt plura objecta formaliter, et adæquate diversa facere etiam in genere morali, quia omnia uniri debent in uno objecto specificante talem actum essentialiter, quia hoc unum esse debet respectu speciei essentialis actus, quidquid illud sit, et in quacumque linea sive entitativa, sive morali ponatur.

XVII. Si ergo objecta, et specificationes morales ita concurrunt in eodem actu, quod in unico objecto specificativo essentiali uniuntur, non possunt habere se ut objecta formalia adæquate diversa, sed inadæquate se habentia, quia hoc ipso quod sub una elicentia actus concurrunt, etiam sub una finalizatione concurrere debent, quia eadem ratio est unius efficientiæ, et unius finis, finalis enim causa, et efficiens semper proportionatur. Si autem ad



eundem finem subordinantur, sub una etiam moralitate possunt concludi, quæ fine desumitur, licet pluribus inadæquatis partibus constet inter se subordinatis, aut inadæquate concurrentibus, quorum unum det speciem in illa linea morali, aliud circumstantias, seu accidentia. Veritas tamen est quod moralitas ita sumitur ex objecto, quod quando formaliter, et adæquate diversa est, etiam specificè diversum actum petit, eo quod tunc est moralitas adæquate diversa in ordine ad alteram, quando sub eadem efficientia, et finalizatione actus complecti non potest, et sic diversum actum etiam entitative postulat saltem præsuppositive, aut concomitanter.

XVIII. Secundum autem principium specialiter deducitur ex eo, quod actus morales, etiam in quantum morales, generant habitus, vel vitiosos si sint mali, vel virtuosos si sint honesti. Si ergo potest dari actus moralis, qui habeat plura objecta formalia adæquate diversa, etiam generabit habitum virtutis moralis, quæ habeat illa objecta formalia adæquate diversa, si quidem actus generant habitus sibi similes in specie, et in tendentia ad objecta, cum non sint aliud, quam qualitates ex consuetudine, et frequentatione actuum genitæ, nec alios habitus generant actus morales boni, quam virtutes morales. At virtutes morales distinguuntur penes diversa objecta moralia, si sint formaliter, et adæquate diversa, ut penes diversa objecta passionum, quæ diversam conformitatem, et ordinem dicunt ad rationem, ut docet S. Thomas infra quæst. LX, art. v, illa autem sunt objecta diversa secundum rationem, quæ in linea morali, et in ratione objecti formalis sunt adæquate diversa, nec alio modo magis proprio possunt distin-

gui objecta formaliter in esse morali; ergo non potest idem actus habere plura objecta formalia adæquate diversa, sicut neque eadem virtus.

XIX. Nec fundamentum oppositæ sententiæ quidquam convincit. Duplex enim esse potest. Primo, quia in eodem objecto possunt concurrere plures honestates, vel malitiæ simul, vel etiam plura motiva, quorum quodlibet est independens ab altero, et sufficiens dare moralitatis speciem, ut patet in actu quo Christus elegit mortem tam ex motivo religionis, quam obedientiæ, et summæ charitatis, quæ omnes honestates erant adæquatæ in illo actu, quia quælibet sufficiebat illum constituere in specie morali: ergo non repugnat eundem actum ferri in objecta formalia adæquate diversa in linea morali. Et quando eodem actu adorationis Christi humanitatem adoramus duplici titulo, et quia conjuncta est divinæ Personæ, et quia summam sanctitatem creatam habet, ille actus duplicem speciem moralem retinet, alteram patriæ ratione personæ, alteram hyperdulciæ ratione sanctitatis creatæ; ergo potest idem actus duplex objectum formale adæquate diversum inspicere. Et cum volo ire Romam ob duos fines totales, et adæquatos, quorum quilibet sufficit constituere actum, seu movere ad iter, talis actus respicit duo motiva adæquata; ergo potest etiam duplicem honestatem inde haurire, vel malitiam.

XX. Secundo, fundari hoc potest in ratione insinuata, quia ista motiva moralia, et honestates inde provenientes sunt simpliciter accidentales respectu entitatis, et constitutionis actus; ergo non repugnat, quod plures concurrant in eodem actu sine aliqua subordinatione, sed ut adæquate diversæ, sicut plura

accidentia in eodem subjecto concurrunt adæquate diversa, ut color, et calor in ligno.

XXI. Ad primum respondetur verissimum esse quod possint illa plura motiva, aut plures honestates concurrere etiam in eodem actu delectationis interno, et non in solo actu externo, ut ista exempla contra Vazquez convincunt, et amplius ex dicendis constabit pro secunda parte nostræ sententiæ. Sed tamen dicimus omnes illas honestates prout hic et nunc in exercitio fiunt, non se habere ut adæquate constituentes diversa objecta formalia, sed inadæquate concurrunt in aliqua ratione, quam integrant, et componunt, et prout unita, et conjuncta in aliqua communi ratione pertinent ad unum actum, non ut æque primo diversa.

XXII. Et cum dicitur, quod quodlibet ex illis motivis est independens ab alio, et sufficiens pro specificando, aut movendo actum, dico quod quantum est de se quodlibet est sufficiens, et non dependens ab alio, ut possit voluntatem movere absolute loquendo, et secundum alium actum, non tamen tali actu, quali movet hic et nunc, quando plura illa motiva, aut honestates uniuntur pro uno actu. Licet enim ad eundem Romam habeam sufficiens motivum in hoc quod est velle consequi beneficium, et ex illo motivo elicio actum volendi ire, tamen si adjungatur aliud motivum, nempe ut possim consequi absolutionem plenariam a peccatis, vel hoc motivum subordinatur priori, ut principali, vel manet non coordinatum illi, sed præcise ratione sui movens. Si subordinatur illi, non constituit motivum adæquate diversum, nec objectum formaliter distinctum, ut est casus argumenti, sed est motivum conducens ad illud prius, ut ad principale, ex quo movetur ad istud

secundum. Et sic oportet, quod illud prius non constituat, et specificet istum actum se solo, et absolute sumptum, sed ut virtualiter includens hoc secundum, et continens illud, et cum respectu, seu connotatione ad illud. Si vero hoc secundum motivum non subordinatur priori, ita quod inter se, et ad invicem non coordinentur, ut videtur esse casus argumenti, tunc dicimus, quod in tali casu postulat distinctum actum, ita quod vel diversis actibus a se elicitis, et duabus electionibus distinctis eliget idem objectum materiale, sicut diversis scientiis scitur eadem conclusio sub diversis rationibus formalibus: vel si velit solum elicere unum actum pro illo objecto, et adunare in eo omnia illa motiva, et honestates sic concurrentes debent uniri in aliqua ratione per modum unius accipiente omnia illa motiva, verbi gratia, quia ex illis omnibus nascitur aliqua major commoditas, vel major aliqua excellentia, aut alleviatio, aut aliqua similis convenientia, quæ componitur, aut crescit ex pluralitate illa honestatum, vel motivorum. Et illud quod sic crescit, et magis ampliatur, vel extenditur, est aliquid unum, quod componitur, et integratur ex pluribus, et in quo illa uniuntur; si enim datur aliquid quod magis crescat, et magis conveniens reddatur ex accumulatione plurium motivorum, et honestatum, illud utique se habet tamquam id in quo omnia illa fiunt unum, et sic movent. Quare actus qui respicit illa omnia ut sic unita, non respicit ut adæquate diversa, sed ut inadæquate se habentia respectu illius tertii, in quo uniuntur, et sic terminant diversum actum ab illo, quo unum tantum ex his motivis moveret, et terminaret suum actum. Licet ergo quodlibet ex his motivis sit sufficiens de se, et



independens ab altero in movendo voluntatem, et possit esse objectum volitionis et actus, tamen non eodem modo, nec in ordine ad eundem actum, sed alius actus erit quando seorsum quodlibet motivum moveat, alius si plura motiva adæquentur, et uniantur in uno respectu ejus inadæquate se habeant. Qua ratione dici solet in part. quæst. I, articulo III, quod si Deus incarnaretur ex alio motivo, quam redemptionis, esset aliud decretum, et alius actus, non obstante quod illa etiam motiva inadæquate nunc concurrant cum motivo redemptionis.

XXIII. Unde patet ad exempla allata, quod Christus voluit mori ex pluribus virtutum motivis, sed ordinate, et subordinate se habentibus in ordine ad unum principale motivum pro gloria Dei, ut determinate manifestatur in satisfactione peccati, et reparatione hominum. Ad illud de adoratione Christi per latrariam, et duliam, dico quod si quis vult uno actu utramque adorationem facere, debet unum motivum subordinare alteri, aut coordinare in aliqua una ratione cultus divini exhibendi duplici titulo in gloriam Dei, aut in aliquo simili motivo. Si autem velit non subordinare illa motiva, sed dividere, et adæquate unumquodque attingere, non poterit id facere uno actu interno voluntatis, sed pluribus, licet eadem externa adoratione fiat, quia actus interni sunt volitiones, et sumunt speciem a motivis volendi specificantibus, et ibi sunt duo divisim accepta, scilicet duliæ, et latriæ; actus vero externus non sumit specificationem ab illis motivis, quia est solum motus quidam localis physicus, qui non specificatur a motivis duliæ vel latriæ, nec dividitur ratione illorum in sua specie entitativa, sed denominative tantum ea participat.

Ad id quod dicitur de eunte Romam ob plures fines, dico quod si id fiat unico actu interno illos plures fines debere uniri in aliqua una ratione finis principalis, sive propriæ commoditatis, aut convenientiæ, vel felicitatis, ubi inadæquate illi plures fines concurrunt ut ex D. Thoma supra quæst. XII, articulo III ad secundum diximus.

XXIV. Ad secundum fundamentum constat solutio ex dictis, quod licet moralitates illæ sint accidentales actui in esse naturæ considerato, tamen quia omnes refunduntur in actum ex attingentia objecti specificantis, in quo illæ conveniunt (si quidem juxta regulationem objecti, et eorum quæ objecta circumstant, et illi adjunguntur, actus dicitur, vel non dicitur regulatus) inde est, quod non possunt istæ moralitates attingi ab actu prout semel egreditur ab agente, nisi prout uniantur, et coordinantur in aliquo uno objecto specificante, quia non potest actus prout egreditur ab agente sub una efficientia, et elicentia, non etiam uniri sub una finalizatione, et uno fine; ille autem actus omnes illas moralitates in unam rationem reducit cum sit unus, non autem permittit æque primo et adæquate manere diversa.

XXV. Restabat solvere fundamenta Vasquez; sed ea commodius ponemus in solutionibus argumentorum.

QUID DE PLURIBUS MORALITATIBUS SUBORDINATIS?

XXVI. Dico secundo: Actus qui respicit objectum morale, et subordinatur fini operantis, aliisque circumstantiis, participare potest diversas honestates, vel malitias ab istis diversis principiis, nec solum

a fine operantis, seu ab intentione habet bonitatem, sed etiam ex objecto proximo, ut in ipso actu electionis, si versatur circa unam virtutem, verbi gratia temperantiam, et imperatur ab alia, utriusque bonitatem, et honestatem participat. Nec solum id intelligitur in actu exteriori facto, sed etiam in actu ipso interno, et a voluntate elicito. Hæc conclusio contra Vasquez est indubitata D. Thomæ, quidquid ipse in oppositum velit D. Thomæ petere suffragium, estque etiam inter theologos communis, et teste Montesinos disp. XXIV, quæst. V, in principio, de ea non fuit controversia in scholis usque ad hæc tempora.

XXVII. Quod sit expressa D. Thomæ constat ex pluribus locis quibus uni actui tribuit plures species moralitatis ex objecto, et ex fine, loquiturque eodem prorsus modo de speciebus bonitatis, et malitiæ. Et in primis posse eundem actum esse a duplici virtute, ab una elicito, ab alia imperatum docet 2-2, q. XXXII, articulo primo, ad secundum, ubi inquit: « Nihil impedit actum qui est proprie unius virtutis elicitive, attribui alteri virtuti sicut ordinanti, et imperanti ad suum finem. » Et ibidem quæst. CXXIV, articulo II ad secundum docet: « Quod ad actum martyrii inclinatur quidem charitas sicut primura, et principale motivum per modum virtutis imperantis, fortitudo autem sicut motivum proprium per modum virtutis elicentis. Et inde est, quod martyrismus est actus charitatis ut imperantis, fortitudinis autem ut elicentis, inde etiam est quod utramque virtutem manifestat. » Quæ verba clarissima sunt, nec enim potest esse actus fortitudinis ut elicentis, et charitatis ut imperantis, et utramque virtutem manifestare, nisi actus ille utriusque virtutis moralitatem, speciemque participet, sicut utriusque

motivum ad illum concurrat, charitatis ut principalis et primi, fortitudinis ut proprii et elicentis. Unde sustineri non potest responsio Vasquez, quod martyrismus dicitur elici a fortitudine quantum est ex natura sua, non tamen quando imperatur a charitate. Hoc enim verbis D. Thomæ quadrare non potest, quia expresse affirmat esse: « Actum charitatis ut imperantis, fortitudinis autem ut elicentis, et inde est quod utramque virtutem manifestat. » Si utramque manifestat, oportet quod utraque concurrat, sed non concurrat utraque ut elicentis, neque utraque ut imperans; ergo altera ut imperans, altera ut elicentis.

XXVIII. Denique, quia quando charitas imperat illum actum, vel fortitudo etiam elicit, et elicendo concurrat; vel sola charitas elicit, et non fortitudo. Si primum, habemus intentum, quod utraque virtus concurrat, ergo utriusque bonitas participatur in actu. Si secundum, est contra D. Thomam qui nusquam dicit, quod charitas elicit, sed quod imperat, et attribuit charitati imperare, fortitudini elicere, quando ergo charitas imperat, non elicit. Dicit autem Vasquez, quod quando charitas imperat non elicitur a fortitudine; elicitur ergo a charitate. Semper ergo quod imperat charitas etiam elicit, et non fortitudo, quod repugnat litteræ D. Thomæ. Idem autem quod hic dicit de fortitudine, et charitate, dicit de actu poenitentiae III p. quæst. LXXXV, articulo II ad primum, ubi inquit: « Quod aliquis actus a charitate procedit quasi imperatus, et sic quia ipsa imperat omnibus virtutibus, utpote ordinans eas ad finem suum; actus a charitate procedens, potest etiam ad aliam specialem virtutem pertinere. » Ecce quomodo aperte loquitur D. Thomas in casu quo cha-